

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput IX. Quod sancta trinitatis et sancti animam salutaverunt.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

habent præ cæteris Apostolis ex eo quod transfigurationi meæ in monte meruerunt interesse. » Tunc illa : « Domine, quid hæc tua largiflua benedictio, et copiosa gratiarum infusio, prodesse potest illis, qui per internum saporem hoc non sentiunt ? » Respondit : « Cum alicui conceditur pomarium fructiferum a domino suo, non tamen statim scire potest saporem singulorum fructuum, sed expectare oportet quousque fructus maturescat. Similiter cum alicui dona gratiarum infundo, non statim percipit etiam interioris delectationis saporem, donec per exteriorum virtutum exercitationem, testa terrenæ delectationis penitus confracta, degustare mereatur nucleum internæ suavitatis. » Tunc Conventus, accepta saluberrimæ Domini benedictione, iterato chorum intrans Matutinos complevit.

CAPUT IX.

QUOD SANCTA TRINITAS ET SANCTI ANIMAM
SALUTAVERUNT.

CUM autem cantaretur XII^{um} Responsorium *O lampas*, etc. apparuit anima infirmæ, in conspectu summæ Trinitatis stans, devote pro Ecclesia supplicare. Quam Deus Pater per hæc verba dulciter decantando salutavit dicens : « Ave, electa mea, quæ per exempla sanctæ conversationis vere dici potes *lampas Ecclesiæ* quæ *rivos*, id est profluvia *fundis olei*, id est orationum in totam latitudinem mundi. » Tunc Filius Dei suavissime intonabat dicens : « Gaude, sponsa mea, quæ vere diceris *medicina gratiæ* ; quia omnibus gratia privatis copiosior restituetur tuis sanctis precibus. » Hinc Spiritus Sanctus concinuit dicens : « Ave, immaculata mea, quæ merito *nutrimentum fidei* vocaberis ;

quia in omnibus cordibus, quæ pie credunt divinæ operationi meæ, quam in te spiritualiter et non corporaliter operor, fidei virtus nutritur et stabilitur. » Dehinc Pater de omnipotentia sua donavit illi, ut omnibus ex humana fragilitate paventibus, et nondum de sua bonitate plene confidentibus, tutelam præstaret securitatis. Spiritus quoque Paraclitus, qui ignis consumens dicitur, contulit illi ut ex fervore suæ divinæ charitatis calorent minus fervidis ministraret. Deinde Filius Dei concessit illi, in unione suæ sanctissimæ passionis et mortis, ut omnibus in peccato languidis conferret medelam. Tunc multitudo sanctorum Angelorum ipsam coram Deo honorifice elevantes, clara voce insimul resonabant: « *Tu Dei saturitas, oliva fructifera, cujus lucet puritas, et resplendent opera.* » In illo verbo, *cujus lucet puritas*, specialiter in ea collaudantes suavissimam quietem, qua Dominus in ipsius anima dignanter requievit. In illo verbo: *et resplendent opera*, omnium operum ejus laudabilissimam et purissimam intentionem. Post hæc, omnes Sancti cantabant: « *Deus palam omnibus revelavit justitiam* », etc.

Respon-
rium
O lampas
Mechtildi
a superis
cantatur.

CAPUT X.

QUOD JESUS CHRISTUS CUM ATTRACTIONE FLATUS EJUS
MIRABILI MODO ILLAM ANIMAM FUTURÆ GLORIÆ COAPTABAT.

INTER Præfationem vero summæ Missæ, iterato velut novæ gloriæ indutus splendore, floriger sponsus Jesus suavissima quadam blanditate delicatis manibus mentum sponsæ delicate apprehendens, faciem ipsius